



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 105. Nuotiarum pacta inter Mariam Hispani Regis Filiam & Carolum  
Walliæ Principem dissoluta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII.  
A. C. 1623.

§. CV.

*Nuptiarum pacta inter Mariam Hispani Regis Filiam & Carolum Walliæ Principem dissoluta.*

*Ferveras  
cont. Hist.*

*Hisp. p. 420.  
tom. II.*

*Gramond.  
Hist. Gall.*

*lib. 13.*

*Jæger. Hist.*

*Eccl. l. 3.*

*cap. 6.*

Postquam inter Philippum IV. Hispaniæ, & Jacobum I. Angliæ Regem cuncti articuli Religionis libertatem spectantes utrinque rati fuerant habiti, pro maturando nuptiarum negotio ab Urbano VIII. eoquod novo consensu opus esset, legis venia petebatur: interim vero de articulis, ut ajunt, politicis pariter inter ambos Reges conventum erat, quin tamen vel ulla in iis de Friderico V. Palatino in integrum restituendo mentio fuisset facta; id enim Jacobus Rex per iteratum mandatum suo apud Hispanos legato inhibuerat, ne ob hujus rei difficultatem negotii executio præpediretur: cum autem Philippus Rex Sororem suam in Angliam mittere detrectaret, quin datæ fidei constantia circa articulos in favorem Catholicorum in Britannia promissos luculento experimento comprobata esset, aliunde vero Khevenhillerus Comes Cæsaris legatus declararet, quod ex hisce nuptiis Hispaniæ Regno innumera mala, Sponsæ vero Regiæ

Regiæ periculum animæ & vitæ a Præ- Sæc. XVII.  
dicantibus, qui eam vel pervertere, vel A. C. 1623.  
in fide immotam veneno necare parati  
essent, haud obscure immineret, hinc  
conclusum, quod ante decem Menses  
nuptiarum solemnia perfici haud possent,  
præcipue cum summi Pontificis lega-  
tus dispensationem neo-electi Papæ  
omnino expectandam esse assereret:  
Igitur infecto, nec tamen desperato  
fœdere Carolus Walliæ Princeps ipso  
Philippo Rege, Carolo & Ferdinando  
ipsius Fratibus eum comitantibus, ex  
Hispania profectus est, die decima  
quinta Octobris Londinum appulsus:  
Mutato autem aere Princeps pariter  
animum mutabat, & quamvis interim  
Urbani VIII. diploma, quo dispensa-  
tionem concesserat, Madritum dela-  
tum fuisset, nihilominus tam Caroli  
quam Patris sui nomine Bristollus An-  
gliæ in Hispana aula legatus præpri-  
mis Friderico utrumque Palatinatum  
& Electoratus jura restitui postulabat.  
Hæc tam insolens petitio, de qua ni-  
hil antea convenerat, tantopere Phi-  
lippum offenderat, ut haud ultra de  
hisce nuptiis agi pateretur: unde sta-  
tim mutuo assensu a fide discessum.  
Dissoluti hujus fœderis diversæ a di-  
versis pro uniuscujusque affectu & ge-  
nio afferuntur causæ; alii culpam in

Sæc. XVII.  
A. C. 1623

Buckinghamum Catholicis infensum, alii in Hispaniæ Regem ex nova petitione offensum rejiciunt: non desunt, qui Jacobum Regem ab Elisabetha filia sua ac Palatini Conjuge, necnon a Prædicantibus Anglis ad irritandum Matrimonium concitatum fuisse referant: forte etiam in juvene Principe Carolo amor in Henrieta Regis Gallici Sororem, quam Parisiis visam deperire cæperat, jam tum prævaluit: Ut ut autem res se habuerit, id omnino certum est, quod hic Princeps biennio post cum præfata Principe Henrieta nuptiarum solemnia celebrarit.

§. CVI.

*Epistola gratulatoria Urbani VIII.  
Pontificis ad Maximilianum Ba-  
varicæ Electorem.*

*Adlzreiter  
annal Boic.  
part. 3. l. 8.  
Blanc. Hist.  
de Bav. t. 4.  
pag. 190.*

Eadem die sexta Augusti, qua universus Orbis Catholicus primum, verumque Episcopum Romanum in Principis Apostolorum Sede collocatum venerabatur, Germania Halberstadiensem Pseudo-Episcopum a Catholicis victum, fusumque conspexit. Tantam inde animi lætitiã conceperat Urbanus VIII. neo-electus Pontifex, ut hoc idem datis die vigesima octava Octobris ad Maximilianum literis in hæc verba testaretur: *Quo tempore*